

Joachim Crell Caspar Spalchaver

Disputatio Logica De Natura Logicae, Et Praedicabilibus

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729614034>

Druck Freier  Zugang



RU 7644

Johann Crellius
Lager Spalchauer



IN NOMINE JESU.

DISPUTATIO LOGICA

De

NATURA
LOGICÆ, ET PRÆ-
DICABILIBVS.

Quam

Assistente Spiritus S. gratiâ

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

In Almâ Rosarum

Publicæ ventilationi submittent

M. JOACHIMUS CRELLIUS.

ET

CASPARUS SPALCHAUERUS.

Rugiani.

*In Atrio Majori, ad diem 7. Februarij,
horis antemerid.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi.

ANNO M. DC. XLIV.

77

76



JUVA CHRISTE.

Nucleum Logicae, cum DEO, emedullaturi, ea tantum quasi in compendio proponemus, quae usum aliquem habere videntur, vix verbulo tacturi ea, quae praeter vanam subtilitatem nil habent, nec tamen praeterituri, quae alicubi utiliter adhiberi possint. Praecepta, Definitiones, Exempla aliorum usitata quantum fieri potest, retinebimus: Ordinem, Notas, Compendia, quantum permittit ingenij tenuitas, adhibebimus. In 1. mentis operatione verò paulo prolixiores esse oportet, quia plerumq; nondum satis exulta ac disposita sint; in reliquis promissam brevitatem sequemur.

Faxit DEUS Ter Opt. Max, omnia in Nominis divini gloriam, & utilitatem publicam ac privatam cedant. Amen.

§. I.

Logica solet ac debet pertractari pro more disciplinarum in 2 partibus, quarum prima est *Proæmialis*; altera *essentialis*: Illa agit de *Definitione & Divisione*: Et praemittitur ut gustum habeamus eorum, quae subsequutura sunt. Haec de re ipsa scilicet de *Mediis*, quibus Finis in Objectum introduci, s. quibus veritas cognitionis s. ejus facilius perceptio in omnibus rebus obtineri possit.

De Proæmio Logicae

feu

De Naturâ & Constitutione ejus.

§. 2. Pars proæmialis proponit *Titulum 1.* Rubricâ donandum de *Naturâ & Constitutione Logicae*. Illa autem consistit in *Definitione & Divisione*.

§. 3. Haec quidem in Finem Logicae rejici poterant, quia Totum plene non intelligitur, antequam singulae partes fuerint praecognitae; at quia in omnibus semper primò Finem in Intentione spectamus, ut alacriores reddamur ad difficultatem Mediorum devorandam, praemitti meritò debet, licet, ad finem primum plenius intelligere queamus.

A 2

§. 4. In

§. 4. In hoc autem Procemio plures ferè sunt controversiæ, quam verba esse debent. Nos relictis illis in quibus convenient potiores, & qualis conceptus de singulis sit formandus, ostendemus.

De Definitione.

§. 5. *Definitiones* sunt variæ, aliis aliter verba inflectentibus, sed licet qua verba variant, qua sensum tamen manent fere ædem; certè manere debent. Non iis adducendis supersedebimus, notantes breviter in quo consentiant, quodq; usum habet relictis subtilitatibus.

§. 6. *Definitio* debet constare *Genere, Objecto, Fine*, quia hæc sunt essentialia *Habitibus*.

§. 7. *Qua* Nomen notandum quidem 1. Unde dicatur, scil. ab *Objecto* λογος, quia circa rationem & orationem versatur. 2. Quot modis sumatur, scil. pro *Naturali & Artificiali*, eaq; vel *Docente* vel *Utente*. 3. Quomodo aliàs vocetur scil. *Dialectica*, sive *Synecdochicè* sive *Æquipollenter*, quod verius putamus, & 4. Quomodo differat à *Metaphysica*, scil. per *Objectum Intentionale* ac *Reale*: Sed hæc ex aliis discet.

§. 8. *Genus* sive *Ars*, sive *scientia*, sive *doctrina* dicatur, semper tamen manet *Habitus*. Estq; perfectio mentis, s. *Qualitas* mentem perficiens (Germ. etne Fertigkeit.) exemplo *Saltatoria*, ubi rudis quadam potentia connata est, promptitudo v. habitualis acquiri debet. Isq; *Instrumentalù*, quia non propter se, sed propter alios *habitus* excolitur, quibus inservit.

§. 9. *Objectum* *Loco* differentia positum, quocunq; nomine vocetur (Regius 14. recenset opiniones) est *Res omnù quatenus Notionibus secundù substat*. *Finis* est ratione benè uti, quod fit discurrendo, seu mentaliter seu oraliter. Hoc iterùm fit veritatem cognoscendo. Sunt igitur hæc subordinata, quæ simul esse possunt, licet hunc ille, alius alium finem nominet. Ex his *Definitio* facillè concinnari potest.

§. 10. *Uti sensus plenius pateat, & conceptus legitimus formari queat, questiones sequentes sunt notanda.*

1. *De Essentiâ*. *Quid sit Logica? Ubi conceptus talù formari debet quod sit talù perfectio mentis, quâ in re quavis Notionibus secundù donandâ ratione benè uti, & hinc discursum formare, ac veritatem eruere possimus.*

§. 11. (2) *De Origine*. *Unde sit Logica? Resp. A Lapsu primavo est quidem privatio luminis Logici, sed remanserunt reliquia, quibus per naturam adhuc discurrere quodammodo possemus ad veritatem tendentes. Hæc reliquia*

Salutatio
ta & in formam disciplina collecta, ut mentem perficiant, gignunt Habitu-
tum, qui dicitur Logica.

§. 12. (3.) De Objecto. Quousq; se extendat Logica? Resp. Ad omne Ens, cui convenienter Notiones secundæ imponi possunt. Quæras, igitur, An homo, justificatio, Medicina, Dominus &c. huc pertineant? Resp. quoad Notionibus secundis investiri possunt.

§. 13. (4.) De usu & Fine. Ad quid proffit Logica? Resp. Ad Ratione benè utendum, benè differendum, & veritatem indagandam. Quæres, quomodo hoc ipsum fiat, ut benè utar ratione, &c? Dico id fieri, si Terminos simplices apprehensos secundum aptitudinem suam convenientibus Titulis insigniamus, eosq; rectè conjungamus, aut conjunctos judicemus, indeq; per discursum legitime inferamus. Hic usus sanè est amplissimus, & vel ex nominati Terminis seipsum commendat, ac quousq; se extendat, ostendit.

§. 14. (5.) De Subjecto Ubi igitur sit inveniendæ Logica? Resp. Non in Libris sed in Mente, quia est Habitus, nam unde aliquid operatur formaliter, ibi residet essentialiter. Libri vero sunt medium tantum conservandi.

De Divisione.

§. 15. Divisio institui solet pro ratione Formæ & Materiæ Syllogismi in partem Communem seu Formalem, & Propriam seu Materialem. Illa docet modum conficiendi Syllogismum. Quia vero Syllogismus ex Propositionibus; Propositiones ex Terminis constant, hinc illa sibi præmittit, & juxta 3. mentis operationes convenienti ordine subdividit. Hæc agit de Materia Syllogismi triplici sub tribus partibus.

§. 16. Verum quia nulla disciplina aliàs ratione Materiæ & Formæ dispescitur, nec id requirit natura disciplinarum in genere, vel hujus in specie; imò partes quædam assui videntur, quæ rectius alio amandarentur: Nos relicta illa Divisione retinemus eam, in qua omnes consentiunt: & partimur juxta tres menti operationes. Prima agit de Terminis Simplicibus apprehensis convenienter denominandis in Prædicabilibus & Prædicamentis. Secunda de iis rectè componendis, dividendis, dijudicandis in Propositionibus. Tertia de Discursibus rectè & ordinatè formatandis in Syllogismis ac Methodo.

De Parte Logicæ Essentiali Tractatus I. De Terminis Simplicibus.

§. 17 Terminis Simplicibus communiter proponuntur sub doctrina Prædicabilium & prædicamentorum. Sed hanc doctrinam non esse sufficien-

tem ad latitudinem terminorum simplicium exhauriendam, ostendunt Propositiones variæ, quæ in secunda mentis operatione connectuntur, nec tamen è Prædicabilibus ita deduci possunt, ut aptitudinè cohesionis in illis monstrant, quare ut suppleatur hic tractatus 1. mentis operationis, multo plura addenda erunt. Verum nos de Terminis Simplicibus, horumq; varietate & ordine in genere alias acturi, hic vestigijs aliorum insitemus, & vulgò receptas partes sub 2. sectionibus enucleabimus.

Seçtio 1. De Prædicabilibus.

Punctus 1. De Prædicabilibus in genere.

§. 18. Prædicabilia seorsim quidem, & contradistincta Prædicamentis vulgo proponi solent: Rectius forte in doctrina *Synonymorum & Paronymorum*, alias ante prædicamentali dicta (sub Terminis consentaneis incomplexis ad prædicandum aptis) adducerentur, quia ibi necessario tractanda recurrunt, & fundamentum diversitatis ac distributionis simul ostendunt. Et vero unum idemq; sub eodem considerandi modo, diversis in locis pertractare nil opus est: Interim consuetudini morem geremus.

§. 19. Prædicabilia autem præmittuntur Prædicamentis, quia habent se instar *Formæ*, prædicamenta vero instar *Materiæ*. Forma v. in Practicis ordine doctrinæ semper præmittitur Materiæ, quia illam prænosse debet Artifex, antequam in hanc introducere vel applicare queat. Et hic quoq; necessario præmitti debet, quia latior est forma, quam ut ad hanc materiam Prædicamentorū solam applicari possit, nam licet eâ occasione forte sit inventa à Prophyrio hæc doctrina, ut prædicamentis inserviat, & quomodo superioribus prædicari debeant, explicet, tamè nec solus nec potissimus ille est Finis, sed per ampliationem extendit se ad omnes terminos simplices affirmatè disponi aptos, sive ex eodem prædicamento desumantur, secundum gradus sub & supra, ut Species & Genus, vel collateraliter ut differentia; sive ex diversis prædicamentis coordinentur, ut Proprium & Accidens. Quæ duo alias, si prædicabilia tantum eo fine proponerentur, ut solis inservirent prædicamentis, in quibus illa non una disponuntur, reliquis apponi non mererentur.

§. 20. In Prædicabilibus autem in genere 3. hæc sunt notanda.
1. Nomen. 2. Definitio 3. Numerus ac divisio.

Membrum 1. De Nomine.

§. 21. *Etymologia.* Prædicabile dicitur, quod Prædicatum fieri potest. Omnia enim quæcunq; Prædicata fieri possunt, in genere Prædicabilia dicuntur.

dicuntur, ut Homo, Virtus, Linea &c. Sola singularia seu individua excipiuntur, quæ constituunt propositionem non nisi Identicam, de qua quid sentiant Logici, suo tempore ostendemus.

§. 22. *Heteronymia.* Differunt cognatæ voces *Predicabilis, Predicati, Predicamenti, & Predicationis.* *Predicabilia* sunt quæ nondum sunt, sed possunt tamen aliquando fieri prædicata, scil. quando actu in propositionem affirmativam disponuntur, suntq; ideo Termini simplices. *Predicata* sunt quæ actu prædicantur, s. posteriorem locum in propositionibus occupant. *Predicatio* est ipsa propositio affirmata & recta ex prædicabilibus desumpta. Prædicare enim est affirmatè & in casu recto enunciare de subiecto. *Predicamenta* vero sunt loci seu Thecæ, unde materiæ ad prædicandum aptæ depromantur.

§. 23. *Declarari hoc potest simili à Typographo desumpto. Hic Thecæ seu capsule in quibus locantur Typi, respondent Predicamentis. Typi ipsi sunt Res omnes. Literæ vero capsulis adscriptæ ad faciliorem Typorum inventionem, referunt Predicabilia. Hic Typographus accedens, diversos Typos ex capsulis ad unam dictionem conjungit, qui conjungi per naturam se patiuntur, sic A. & B. ad unam Syllabam ac vocem connectere potest: non vero X. & Z. Ita etiam Logicus Res ex diversis predicamentis, vel ejusdem predicamenti diversis sedibus desumptas, ac beneficio predicabilium erutas, conjungit ad unam Predicationem. Ita Homo & doctrina conjungi possunt: Non vero Homo & Linea. Lapis & Sapientia &c.*

§. 24. *Homonymia.* Sumitur Vox *Predicabilis* dupliciter 1. latè pro omni eo, quod prædicatum fieri potest, sive negative sive affirmatè. Idq; vel in casu recto vel obliquo 2. *presse ac propriè* pro eo, quod prædicatum affirmatè & in casu recto tantum constituere potest, quæ acceptio hujus est loci.

§. 25. *Synonymia.* Dicuntur aliàs *Universalis*, non in essendo sed prædicando, nõ. Universalis in multis, quæ in multis, sunt essentialiter, sed de multis, quæ de multis prædicentur essentialiter Hoc ut rectè intelligatur.

§. 26. Nota *Disting. esse* 1. *inter Predicabilia in actu signato & applicato, seu inter predicabilia ipsa & materiam illorum. Illa sunt Notiones secundæ, seu nomina rebus imposita, ad facilitandam earum cognitionem. Hæc sunt Notiones 1. seu res ipse quæ tanquam exempla subsistentur. Quæ differunt inter se ut Entia realia & rationis, orta ab Actu intellectus directo & reflexo. Illa dum nominantur in Logicis, hæc creberrimè, intelli.*

non suadet Logicus. Hæc sunt Universalia: Illa vero Nomina eorum æquè
latè patentia- 2. Disting. inter Inferiora seu contenta, quæ aliter spectari
possunt in Entitate sua s. ratione Fundamenti, quod sunt Individua. Sic Præ-
dicabilia semper sunt universalia, quia opponuntur individui & singularibus:
aliter vero in prædicabilitate & ratione Subjecti, de quo prædicari debent,
ad quod Prædicabile vi nominis respectum essentialem involvit. Sic Prædi-
cabilia præsupponunt quidem Universalia, sed ipsa non sunt talia, nisi Sub-
jectum simul sit fundamentum Prædicabilis, essentialiter sub illo conten-
tum, quod sit tantum in Genere & Specie cum suis inferioribus disponendis;
non vero in reliquis, ut Proprio & Accidente, quia Fundamentum, undè sunt
universalia, hic semper diversum est à Subjecto, cujus ratione denominan-
tur Prædicabilia, illudq; non essentialiter sed extræ essentialiter respiciunt,
ideoq; licet ratione Fundamenti sint Universalia in multis, tamen ratione
Subjecti non prædicantur de multo. Sic Risibilis ratione Hominis non
dicitur de multo, nec essentialiter, sed de homine & extræ essentialiter. Col-
ligimus igitur Prædicabilia ratione Materie seu Fundamenti esse Univer-
salia, & ipsa quoq; in se spectata præsupponere Universalia; imò etiam vo-
cari posse talia, quod sint nomina æquè latè patentia cum iis. Interim ta-
men formaliter & per se non esse Universalia Metaphysica, & licet quadam
sine ex Accidente, ut Genera & Species, tamen non hic considerari ut Uni-
versalia, quia denominantur respectu Terminis subjicibilis, cujus ratione non
semper, adeoq; nec per se multo insunt, nec de multo prædicantur essentia-
liter, quemadmodum in posterioribus Prædicabilibus videre est. Hoc ad
intelligendas & sequestrandas Scholasticorum subtilitates adjiciendum erat.

Membrum II. De Definitione.

§. 27. Prædicabilia sunt Tituli vocabulorum communium, seu Notiones
secundæ simplices, ostendentes quomodo prima de invicem prædicari debe-
ant. Vitiosissimam igitur illam Descriptionem Scholasticorum, qua de
pluribus prædicari per naturam apta dicuntur, suo loco relinquimus.

§. 28. Ut autem verba inclarescant, explicandi sunt Terminii, quid sit
vocabulorum commune, quid Notio prima & secunda.

Vocabula communia sunt, quæ Grammatico dicuntur Nomina Appella-
tiva, Metaph. Universalia, & contradistinguuntur Individuis ac singu-
laribus. Tituli vero horum sunt Nomina ex Prædicabilibus iis super
imposita

imposita, quæ ostendunt affinitatem Terminorum ad invicem. Hæ dicuntur Notiones prima; Hæ secunda. e.g.

<i>Species</i>	<i>Genus</i>	Tituli
Homo	Animal	Vocabula communia.

29. *Notio ein Sinnensbild* est nihil aliud quàm imago alicujus rei in animo resplendens, velut *Species in Speculo*. Dicitur aliàs potest *Forma Mentis, Idea, Conceptus, Intentio, Noëma*.

§. 30. Est autem vel *prima* vel *secunda*, nam vel objectum offertur nudè intelligendum, & sic gignitur *Species in mente*, quæ dicitur *Notio prima, ein Naturwort*: Involvitq; duo, 1. *Rem extra mentem* ut fundamentum 2. *Speciem in mente* ex Objecto oblato apprehensam. Hoc igitur locum habet in omnibus, quæ fundamentum ponunt in re ante mentis operationem quæq; menti cognoscenda offerri possunt: vel etiã mens nostra effingit *Speciem aliquã*, quando in pluribus rebus oblati, quas simul cognoscere non potest, fundamentum advertit, quo res in certas classes digeri, & sic cognitio earum novis impositis nominibus facilitari possit. Et hæc *Species* dicitur *Notio secunda*. Est igitur Nomen quod accedit rei præter ejus essentiam & Accidentia; imponiturq; ab Intellectu fingente *Speciem*, ex fundamento in re animadverso ad faciliorem rerum cognitionem, quemadmodum hominibus ac aliis imponuntur nomina ad faciliorem distinctionem.

§ 31. Occurrunt autem non nisi in *Habitibus Instrumentalibus Grammat. Rhetor. Logicæ*: ita ut quæ *definitivè* in iis tractentur, sint *Notiones secunda*, quæ vero *exempli loco* apponantur, sint *Notiones prima*, sic in primo versu Vergilij *Tityre tu patulæ &c.* Vox *Tityre Gram.* est Nomen vocat. *Casus: Rhetor. Apostrophe: Logico Individuum.*

§. 32. *Notiones secunda* autem sunt vel *Simplices*, quæ Terminis incomplexis imponuntur in 1. mentis operatione: vel *Compositæ*, quæ in secunda & tertiã mentis operatione occurrunt, de quibus postea.

§. 33. *Definitio* igitur importat 4. 1. *Essentiam communem* in Notionibus secundis, de quibus ante egimus. 2. *Objecti latitudinem*, quod huc revocari debeant omnia, quæ in casu recto & affirmatè de aliis prædicari queant. 3. *Officium & modum*, quo affinitatem Terminorum ostendit per nomina imposita. 4. *Usam seu scopum*, qui vel primarius est & generalis, quod faciant ad propositiones affirmatas constituendas: vel Specialis quod interserviant dispositioni rerum in prædicamentis; isq; 3. prioribus

B

tans,

tantum competit, & hinc illi, qui hunc finem solum attendunt Proprium & Accidens Prædicabilium numero accensere non possunt.

§. 34. Nota de Usu. quando 2. Termini offeruntur videndum 1. An sint Prædicabilia? id est, an in casu recto proponantur, & aptitudinem ut affirmatè disponantur, habeant? Sic homo & Lupus non conveniunt, at Homo & doctrina conveniunt, sed in concreto, nam Accidentia ut prædicentur de subjectis semper cum concretis sunt permittenda 2. Utrum sit prædicabile in respectu ad invicem, id est uter Terminus Prædicatum constituere debeat? Is scilicet qui est vel, Verbum, vel Adjectivum, vel Substantivum latius. Sic in propositis terminis Lapis & Corpus, Corpus fit prædicabile quia latius est substantivum, respectu Lapidis 3. Quale sit Prædicabile? Hoc autem docebit.

Membrum 3. De Numero & Divisione.

§. 35. Putabis quò Prædicabilia rei esse infinita, quia integri tractatus de unà re possunt conscribi, sed tamen non ultra 5. sunt. ut Species, Genus, Differentia, Proprium, Accidens. Et quod sanè mirandam, omne id quodcunq; de re aliqua in oratione, concione, & scripto dici potest, sub his 5. vocibus comprehenditur; Unde dispalescit, quantus usus sis deductionis rerum per prædicabilia & prædicamenta, quemadmodum vulgò vocamus, tàm enim nil eorum nos fugiet quæcunq; de re dici aut cognosci possunt.

§. 36. Hic autem duo notanda 1. Basis Prædicabilium 2. Res ipsa. Basis est Subjicibile tantum, quod alias dicitur Individuum, & semper est subjicibile naturà, licet rarò actu, quia Individua non sunt curæ arti.

§. 37. In re ipsà Numerus Prædicabilium eruendus, & Qualitas. Numeri Fundamentum Catholicum est illud. Quot sunt modi prædicandi diversi, & in re fundati, tot sunt Prædicabilia. Ex modis igitur prædicandi diversis eruitur Numerus per divisionem, unde simul Qualitas innotescit, vel enim prædicantur.

In Quid, id est, ut Substantiva, idq; vel $\left\{ \begin{array}{l} \text{de Individuo} \\ \text{de Specie} \end{array} \right.$ ut Species
Genus

In Quali, id est, ut Adjectiva $\left\{ \begin{array}{l} \text{Essentialiter, ut Differentia} \\ \text{Accidentaliter} \end{array} \right.$ $\left\{ \begin{array}{l} \text{Necessariò ut Proprium} \\ \text{Idq; iserum vel} \end{array} \right.$ Contingenter ut Accidens
seu verba, idq; vel

Quomodo vero alias Numerus ex Modis Essendi vel cognoscendi eruatur vide apud alios.

§. 38. Prædicabilia autem possunt statui vel duo, ut Synonymum & Paronymum.

~~¶~~ juxta duos prædicandi modos generales, quibus vel in Quid vel in Quale prædicantur.

§. 39. Vel *tria*, ut *Species*, *Proprium* & *Accidens*, si spectemus id, quomodo in re esse deprehendantur, nam *Species* in naturali intelligendi modo primo exurgit, quia Intellectus per naturam suam, & nobis non advertentibus, colligit ex singularibus aliquod generale, quod de iis prædicari potest, & hoc ipsum peculiari nomine imposito vocatur *Species*. Deinde *Propria* & *Accidentia* in re manifestè deprehenduntur, quando enim lustramus prædicata rei extra essentialia, quædam *Speciei* adæquantur, vel nexu quodam necessario cum re cohærent, alia vero extra *Speciem* quoq; inveniuntur, vel contingenter accedunt: Illa *Propria*; Hæc *Accidentia* vocantur.

§. 40. Vel *quatuor*, addito superioribus *Generi*, si diversos Prædicandi modos speciales attendamus, nam *Genus* licet ex *Proprio* dependeat, tamen alium prædicandi modum deposcit, quia in quid prædicatur de *Specie*, ut *Species* de *Individuo*. *Differentia* vero communem cum *Proprio* prædicandi modum in quali retinet, unde distinctum Prædicabile non constituit.

§. 41. Vel tandem 5. assumpta *Differentia Specifica*, quæ communiter etiam retinentur, & in *Logicis* proponuntur.

§. 42. De hac vero diversitate certi quid ut constat, *Originem Prædicabilium* scrutandam esse censemus. Est autem origo Prædicabilium obscura satis, & hactenus nondum explorata. Nos pro ingenij modulo viam hic aliis præbimus.

§. 43. Prædicabilia distinguuntur per diversum prædicandi modum. Modus ille præsupponit cognitionis diversam rationem, quæ fundari debet in re ipsa. Res autem sunt duplices; *Substantiæ* & *Accidentia*. In *Substantiis* quædam sunt essentialia, quædam extraessentialia. Illa in *Spiritibus* comprehensivè cognosci non posse, in confesso est; In *corporibus* vero facile probatur, quia materia non est diversæ essentialiæ juxta *Peripateticos*, nec si esset, diversa admitteret nomina, per quæ varietas ista designari posset. Et formæ rerum latent nos: Imo si constarent, tamen ut partes de toto in quid & casu recto non possent prædicari. *Accidentia* vero, vel ipsa sunt propria, vel ex propriis colliguntur aut denominantur: Pauca hic excipimus *Accidentia*, quæ aliundè rei accedunt, & hic in considerationem non veniunt.

S. 44. Constat igitur primò quod Prædicabilia omnia ex Propriis scil. Physicis, & ratione inhærentiæ in Individuis & Ente singularizato spectatis, dependeant, quia nil ipsis in re aliud respondere potest, cum essentialiam ipsam aut partes essentielles non penitremus, & Accidentia aliunde accedentia hic non esse attendenda evicerimus.

§ 45. Hæc autem propria ad rationem cognitionis inflecti debent, ut ex Physicis fiant quasi Gnostologica. Nam cum res ipsas cognoscendo comprehendere non valeamus, & tamen rerum varietatem cognoscere aveamus, alium natura indulsit modum, qui imperfectionem hanc cognoscendi nostram, ob organa materialia annexa suppleat, & simul compendium præstet, ad latitudinem rerum paucioribus conceptibus per abstractionem formatis apprehendendam, dū monstrat ex propriis varie inter se & cum aliis collatis, eruere conceptus, in quibus res cum rebus conveniant, & in quibus differant, ut per illa unimode multa intelligi; per hæc vero iterum ab invicem distingui queant.

§ 46. Hunc modum monstrat, & suo exemplo quasi commendat ipsa natura, ubi nobis non advertentibus ex Propriis Individuorum convenientibus tacitâ Inductione colligit universale, quod dum apprehendimus, nomine Substantivo peculiari imposito, primum constituit Prædicabile, respectu Individuorum, unde collectum est. Et salutatur *Species*.

§ 47. Exemplum ejus si imitemur, & excutiamus in Individuis aut rebus singularizatis Propria seu Accidentia rerum omnia, eaq; conferamus cum aliis, inveniemus quædam cum Specie, quam Natura quasi ipsa supplet, adæquari, quædam vero ultra Speciem ad alia Subjecta quoq; se extendere. Illa Specifica propria; hæc generica vocare possumus: Logicis illa Propria quarti; hæc secundi modi dicuntur, nisi planè sint Accidentia. Sic in Petro deprehenduntur risus, ratio, quæ sunt Specifica, & sensus, appetitus, motus mixtus, cursus &c. quæ generica fiunt.

§ 48. In utrisq; autem, quia sæpè multa sese offerunt, occurrunt quædam quæ ab aliis dependeant qua cognitionem: Alia vero quæ independent. Illa Propria Secunda; Hæc Prima dicuntur. Illa Logicis extra essentialia, Hæc Essentialia putantur, quod conceptum Definitionis constituent, & pro essentiali rei quam penetrare non possumus, supposita, expriment id, quod de re à nobis cognosci potest, seu quo res à nobis cognoscitur: Indeque ab officio Materia & Forma per similitudinem dicuntur.

§. 49. Ex his jam ordine deduci possunt *Prædicabilia*. Primò omnium per naturalem intelligendi modum se offert *Species*, quæ citius colligitur ex Individuis, quam à nobis ferè advertatur. Deinde ex *Propriè Specificis*, iisq; *primis* oriuntur *Differentiæ*, quia cum Specie ita adæquantur, ut reliquis propriis simul fundamentum cognitionis præbeant. Ex *Specificis* vero *secundis* propendent *Propriæ*, in Specie in Prædicabilibus sic dicta, quia adæquantur quidem cum Specie, sed ita ut ratione cognitionis ex primis dependeant. Ex *Genericis* vero *primis* oriuntur *Genera*, (si scilicet peculiare nomen Substantivum primæ impositionis ipsis indatur, quod in his proprium fundatum pro omnibus ijs subjectis supponat, in quibus inveniatur) quia nexum habent ratione cognoscendi essentialem, sed ultrà Speciem se extendentem ad plura. Tandem ex *Genericis secundis* prodeunt *Accidentia prædicabilia* potissima, quales sunt Actiones, Denominationes &c. quia ultra Speciem se extendunt, nec a deo cum re connexa sunt.

§. 50. Hoc nondum sufficit ad Numerum Prædicabilium exactè constituendum, quia illa non denominantur ex diversâ ratione cognoscendi, sed ex diverso modo prædicandi. Illa quidem usum habent satis magnum, dum plenius ostendunt naturam prædicabilium. Prima enim definitiones constituunt: Secunda Propositiones alias. Sic Specificæ ratione Materie semper verum inferunt: Genericæ vero non nisi ratione Formæ concludunt, unde multum variantur præcepta Logica secundæ & tertiæ mentis operationis. At hunc finem nondum attingunt, ut numerent prædicabilia. Hoc igitur ex modo prædicandi rectius elicitur, qui ut eruat adhuc superest.

§. 51. Cum Natura ex Individuis Speciem aliquam collectam, peculiari quodam nomine antiquitus imposito, de iis enunciat *Substantivè*, ostendit nobis unum prædicandi modum *in Quid*, quem postea imitatur Genus. Deinde videmus Accidentia de suis Subjectis non posse enunciari, nisi Substantiva ex doctrinâ Paronymorum in Adjectiva permittentur: Hinc alius nascitur prædicandi modus *in Quali*. Plures modi non possunt dari, quia inter modum enunciandi per Substantivum & Adjectivum nil mediat.

§ 52: Qui v. vulgò addi solet in Quali Quid, vix contradictionis suspicionem effugit, quia non ratione essentialis, de quâ particula Quid explicatur, sed ratione prædicandi, de quâ agit particula Quale attenditur, ideoque sola sufficit.

§. 53. Duo igitur Modi, prædicandi generici sunt 1. Substantivus & Essentialis f. Synonymicus. 2. Adjectivus & Extraessentialis f. Paronymicus dici potest. Ille conceptus convenientiæ novo adscito nomine designat, & de inferioribus substantivè enunciat: Hic Prædicata extra essentialia rei adjectivè & denominativè attribuit.

§. 54. Hi Modi generici tandem ad Terminos subijcibiles, s. eos de quibus prædicari possunt, accommodari debent, nam inde dependet diversitas Prædicabilium. Sic *ex modo prædicandi in Quid* exurgunt *duo Prædicabilia*, nam illa vel prædicari possunt de Individuis, unde *Species*: vel de Speciebus, unde *Genus* prodit. Nec est quod objicias, ita etiam de Genere aliquid in *Quid* prædicari posse, nam quotiescunque aliquid prædicatur in *Quid* de alio, præter Individua, id semper naturam & nomen Speciei induit. *Ex modo prædicandi in Quali*, itidem *duo* resultant *prædicabilia*, nam subijcibile quod est, spectari potest vel ut *Species*, cui adæquatur Prædicatum; hinc *Proprium* nascitur: vel ut *Subjectum commune*, unde *Accidens*, prodit. Differentia v. licet ratione cognoscendi differat à Proprio, tamen modum prædicandi communem habet cum eo, unde non opus est distinctum prædicabile constitui: Et sic ex ipsâ rerum natura eruta manent 4. Prædicabilia. Nos tamen ne temerè quicquam innovasse videamur, communem morem in numero eorum quoque sequemur.

Punctus 2. de Individuo.

§. 55. Circa *Individuum*, quod ceu Basis prædicabilium præmitti debet, notanda sunt 4. 1. *Definitio*. 2. *Modi*. 3. *Proprietas*. 4. *Origo*.

§. 56. Membr. 1. *Defin.* *Individuum est nomen proprium, aut una res significata nomine proprio, aut particula demonstrante; s. est quod de uno solo dicitur.*

§. 57. *Individuū* considerari potest vel ratione *abstractionis*, ut illam neget, & sic dicitur *Singulare*: vel ratione *dispositionis in prædicamentis*, sic est Basis Generum & Specierum, vel ratione *prædicationis*, & sic dicitur *Subijcibile*, quia naturæ ordine semper subijcitur, nunquam ordinariè prædicatur.

§. 58. Sensus definitionis est, Individuum esse rem unam quamvis, quæ sensibus comprehendendi potest, sive Nomine proprio denominetur, sive pronomine demonstretur, sive alio caractere mentis significetur. *¶ Dicitur* igitur hic non notat prædicari de Subjecto, sed denominare rem im-

imposito nomine. *Unum solum* quoque non Nomen, sed rem connotat, quia sæpè unum nomen diversis subjectis ex accidenti imponitur, quia non sunt tot nomina quot res. Sic Nomen Petri plura sæpè Individua designat, & hinc ab pleniorum rei distinctionem ab aliis exorta sunt nomina alia, Prænomina, Cognomina, Agnomina.

§. 59. Memb. 2. Modi sunt 4. Nam Individuū est vel 1. *Nomen Proprium*, quod imponitur 5. rebus: 1. Hominibus. 2. Brutis nonnullis ut Equis, Vaccis, Canibus. 3. Regionibus & Urbibus. 4. Fluviis. 5. Montibus. 2. *Nomen Appellativum* quodvis cum *Prænomine demonstrativo*. 3. *Nomen Appellativum* vel cum *signo particulari* quod licet confusè nil certi designet, tamen distinctè semper in uno verificatur; vel per *excellentiā*. 4. *Hypotheticum & Periphrasticum*.

§. 60. Memb. 3. *Propria Individuorum sunt Existentia rei & Incommunicabilitas.*

§. 61. *Nota. Conditiones Individuantes solent proponi in isto versu: Forma, Figura, Locus &c. Sed hæ non universaliter in omnibus locum habent, & individuo ratione abstractionis considerato tantum competunt, qualiter hic non attenditur. Notam igitur ponimus illam, Quodcunque etiam Brutum animal sensibus apprehendere potest, id est Individuum. Dices, Brutum etiam Hominem sensu percipere posse, cum tamen non sit Individuum. Respond. non cognoscit Hominem, sed hunc Hominem, qui etiam Individuum rectè dicitur.*

§. 62. Memb. 4. *Origo Individuorum est quadruplex. Velenim producta existunt per creationem, vel per generationem, vel per emanationem, vel effectationem artis, nam omnis actio excepta mentali terminatur circa singularia.*

Punctus 3. De Specie.

§. 63. *Ad Speciem 4. notanda, 1. Definitio, 2. Divisio 3. Propria, 4. Origo.*

§. 64. Memb. I. *Definitur Notio secunda Simplex, qua de pluribus numero differentibus prædicatur immediate in questione Quid.*

§. 65. *Sensus est (quot modis enim capiatur Nomen apud alios vide) Speciem esse titulum nominis appellativi, quod de multis Individuis abstractum, cum iis in propositionem ita disponitur, ut tanquam Substantivum affirmative & nullo interveniente Termino alio prædicati locum obtineat, ut homo. Plura igitur Numero differentia sunt Individua,*

dua, quæ quoad cætera, i. e. essentialiam & propria conveniunt; quoad Numerum v. per accidentia & condiciones Individuantes differunt. In *Quid prædicari* est tanquam Substantivum de re enunciari.

§. 66. II. *Divisio*. Species est vel *Specialissima*, quæ proxima est Individuis in Tabulis prædicamentalibus: vel *Subalterna*, quæ includit reliqua omnia usque ad Summum Genus, quatenus cum Superioribus semper conferuntur in linea directa.

§. 67. III. *Propria* sunt 1. *Subjicibilitas*, nam si non affuerit Individuum, semper Species subjecti locum occupat, & contra quodcunque subjecti vicem sustinet, semper speciei naturam & nomen induit, sive alias genus sit, sive differentia. 2. *Prioritas* respectu Generis; & reliquorum prædicabilium, nam prior est genere i. ratione *cognitionis confusæ*, quia licet Genus sæpè prius offeratur, tamen non potest cognosci ante Speciei confusam cognitionem. 3. ratione *Definitionis accuratæ*, quæ à confusâ totius cognitione incipit, & ad partes ejus quæ sunt Genus & Differentia, progreditur. 4. ratione *abstractionis ordinatæ* quia proximè sequitur Individua, ceu patet in Tabulis prædicamentalibus. 5. ratione *predicationis ordinariæ*, in qua Species ut Subjectum existit.

§. 68. IV. *Oritur* id quod nomine Speciei insignimus ex naturali intelligendi modo, nam intellectus noster ita conditus est, ut semper ex oblati individui Universalem notionem abstrahat, eamq; primò omnium cognoscat, antequam reflectatur iterum ad singulare.

§. 69. Nota: Species (etn *SinnenBild*) est quam auditâ voce certam & determinatam Imaginem in mente formare licet, ut nominato equo concipimus Speciem, ad certam formam & accidentia determinatam. Hoc igitur signum est speciei specialissime: Contra verò in *Ans* non licet talem formare speciem, nam *distribuitur conceptus ad diversas formas, & sub communi operatione volatus tantum apprehendit. E. non est Species.*

Punctus 4. De Genere.

§. 70. In Genere notanda iidem quatuor: 1. *Definitio*. 2. *Divisio*. 3. *Propria*. 4. *Origo*.

§. 71. Memb. I. *Definitur Notio secunda, simplex, quæ de pluribus specie differentibus prædicatur in quid.* Germanicè dici posset etn *Enthaltungs Wort*. Res clara est est Definitione Speciei, modò attendantur hæc tria requisita. 1. quod Genus sit specie superius, i. e. Substantivum latius

tius 2. quod prædicetur de Specie differentibus, id est essentia seu conceptu convenientiæ ac differentiæ distinctis. 3. quod prædicetur in quid id est ut Substantivum, e.g. Animal.

§. 72. II. Dividitur Genus in *Summum* quod constituunt prædicamenta. Totuplex g. est quot sunt prædicamenta: Et *subalterna*, quæ coincidunt cum subalternis Speciebus usq; ad Speciem specialissimam, quatenus cum inferioribus conferuntur.

§. 73. III. *Proprietates* sunt, respectu Speciei. 1. *Latitudo*, quâ plures species sub se comprehendit; idq; vel actu, ut in plerisq; vel Potentiâ, ut in Speciebus Monadicis. 2. *Prædicamenti Identitas*, quod in eadem sint Categoria, ubi tamen excipe 1. Ea quæ verum Genus non admittunt, qualia sunt (α .) Quæ sunt supra vel infra prædicamenta (β .) Ea in quibus est tantum differentia accidentalis, ut Fluvius est aqua in alveo perpetuo decurrens. 2. quæ Genus ex aliis prædicamentis, unde fundamentum habent, desumunt; ut Concreta & Relata, sic Calidum est Corpus habens calorem. Pater est Persona coexistens alteri quam genuit in alio.

§. 74. IV. *Origo Generis* est à *Propriis* ratione inhærentiæ spectatis, ad rationem cognitionis inflexis, cum enim propria quæ supra vocavimus Generica & prima, per collationem rerum ad invicem excutiantur, & inventis iis in quibus res ita conveniunt, ut reliquarum cognitio inde dependeat, Nomen Substantivum peculiare imponatur, quod exprimat hunc conceptum convenientiæ, Genus quæsitum prodit, quod essentiam non rei, sed conceptus, eamq; communem menti sistit, quo cum aliis essentialiter convenire intelligitur.

§. 75. Hæc autem Propria undè Genera rerum hauriri debent, non sunt ubiq; & in omnibus Entis Speciebus ejusdem rationis, sed in aliis rebus alia. Nam in Substantiis Inferioribus ut Animatis sunt *Effectus, operationes communes*. In Inanimatis mixtis à *succo, sive Lapidescente* seu *Metallifico* (in cujus genere optimùm, si qui datur, *Lapidem Philosophicum* vocamus, quicquid vero alias de hoc ipso venditant Alchymistæ Chrysopœi, meræ sunt imposturæ quia ex eo quod non est aurum, nunquam fiet aurum nisi semen ipsius auri adhibeatur) seu *Minerali* desumuntur. In Superioribus à *respectu ad Mixturam & Materialitate* petuntur. In Quantitatibus autem à *Forma*, sub quâ se ingerunt sensibus. In Qualitatibus & Actionibus, à *Tendensia ad operandum & perfectione ipsa*. In Rebus Artificialibus, à *Formâ externa simul atq; usu*. In Relationibus

G

à Sub-

à *Subjecto denominationis*, aut *Fundamento remoto*. Cætera, si quæ obscura hic interveniant, diēs docebit.

§. 76. Cum autem Genera pauca sint, quia eo fine inventa, ut rerum multitudinem per pauciores conceptus exhibeant, ea quasi in numerato habere oportet, ut ita rerum convenientias sub iis facilius apprehendamus. Sic in *Substantiū* occurrunt hæc potissima. *Spiritus, Corpus, Stella, Elementum, Lapis, Metallum, Minerale, Animal, Brutum, Avis, Piscis, Fera, Vermis*.

In *Quantitatibus, Linea, Superficies, Corpus*, quibus addi possunt, *Numerus, Oratio, Tempus, Locus, Figura, Mensura, Moneta, Pondus*, & forte sub his aliis.

In *Qualitatibus, Potentia*, quæ variantur per determinationem ad Subjecta, *Habitus, Scientia, Ars, Virtus, Habitus Instrumentales & Corporū. Affectus, Color, Sonus, Odor, Sapor, Tangor*, quibus hic addi solent ob res artificiales, *Vestimenta, Arma, Edificia, Suppellectilia*.

In *Actionibus* ipsa *Actio* cum determinatione quadam occurrit.

In *Relationibus* *Persona, Officium, Status, Ordo, Societas, Cognatio, Unio, Possessio, Proportio*: Item *Instrumenta & Media* variorum generum, in quibus, cum quibus, & per quæ aliquid fit, & quæ alia hic subordinari possunt, de quibus in prædicamentis latius.

§. 77. Nota vix potest status certior tribus illis requisitis supra ad definitionem Generū explicatis. Addimus tamen, *Substantivum* illud, de quo certam Speciem in mente formare non licet, qui semper ad plura comprehensa distrahatur, esse Genus. Sic *Vocabulum Avis*, Genus est, quia illo auditō non possum certam formam avi, ut *Passeris, vel Columba* concipere, sed aliquid per volatum ipsis commune &c.

Punctus 5. De Differentiâ.

§. 78. De *Differentia* iisdem 4. notanda. 1. *Definitio*, 2. *Divisio*, 3. *Proprietates*, 4. *Origo*.

§. 79. Membr. 1. *Definitur*. *Notio secunda* ejus quod cum genere constituit certam Speciem, & de illa prædicatur in quale quid. Quæ descriptio sumitur à duobus requisitis. 1. quod constituat certam Speciem, scil. in cognoscendo, id est faciat ut Species seu id quod de illa cognosci potest, distincte à nobis percipiatur. 2. quod prædicetur in Quali quid, id est enuncietur adjective ut *Qualitas*; & tamen Essentiam s. quidditatem rei exprimat, unde essentialis *Qualitas* Scholasticis dicitur,

§. 80. Hic

§. 80. Hic observa *Primo circa definitum*: quod Differentiam in genere faciant communiter triplicem. 1. *Communem*, quâ res differant per Accidens separabile, ut Petrus juvenis à seipso sene. 2. *Propriam*, qua differunt per Accidens Inseparabile. ut is qui cicatricem habet in facie, ab alio. Et hæc Accidentia vocari volunt ratione inhærendi: Differentias verò, ratione distinguendi. 3. *Propriissimam*, quæ supra definita est. Verum non satis concinne: quia differentia male quaeruntur in Individuis, aut Entibus Singularizatis, & ubi non attenditur respectus ad oppositam differentiam, à qua per naturam quasi distinguitur. Nos igitur Differentiam *communem* vocamus *Proprium*, quo res non differunt Metaphysicè-Essentialiter, sed Physicè: sic erecto corpore & depresso incedere, sunt differentia communes hominis & bruti. *Propriam* dicimus esse veram *Differentiam* distinguentem, sed *Genericam*. *Propriissimam* verò, quam vocant *Specificam*.

§. 81. Deinde circa *Definitionem*, quod supra etiam monuimus, non videtur esse admittendus Modus ille prædicandi in Quale Quid, quia ratio prædicandi hic tantum respicitur, & essentiam ipsam quoq; non assequimur. Ergo particula illa Quid gratis assuitur. Nos igitur arbitramur, Differentiam in se nil aliud esse quam *Proprium* quoddam, quod supra *Specificum* & *Primum* denominavimus, id est tale, quod ut plurimum ab operationibus propriis desumitur, indeq; rem à re maxime distinguit, & sic dum reliquis propriis distincta cognitionis fundamentum præstat, ea constituere dicitur: Germanicè etiam *Scheidwort* vocari potest.

§. 82. Membr. II. Dividitur a. in *Genericam* & *Specificam*. Illa quia ex pluribus Speciebus collecta, in Subjecto ampliori, deprehenditur, Genera Essentialiter distinguit; Hæc vero Species, cum quibus adæquatur, constituit.

§. 83. III. *Proprietates* Differentia sunt, *constituere rem, distinguere ab aliis, & operationem elargiri* ratione cognoscendi, quemadmodum aliàs hæc officia Formæ attribui solent, ratione estendi. Ex quibus tamen tertium non omnibus perpetuo competit, quia non omnia admittunt operationem, unde in iis vel non sunt propriè Differentia; vel aliunde hoc tertium derivari debet, de quo inferius.

§. 84. IV. *Origo* itidem ut in Genere, dependet ex *Propriis*, ad rationem

tionem cognitionis inflexis, cum enim colliguntur Propria Specifica, sive ex operationibus propriis; sive ex aliis, & exiis inveniuntur quæ ab aliis maxime evidenter distinguunt, ac simul Fundamentum, unde reliqua deduci possunt, præbent, tum ea assumuntur ut talia, quibus res in cognoscendo constituitur, seu quæ conceptus definitivè completur, & *Differentiæ* vocantur ratione *officij*, quod sustinent in Definitionibus, quæ alias ratione sui nil magis sunt quam Propria, paulò proprius cum essentia rerum connexa.

§. 85. Differunt igitur Propria in Specie, sic dicta à Differentiis, non ratione *Essentiæ*, sed *Officij* in cognoscendo, dum ex his illa quæ cognitionem dependent, indeq; illa Propria secunda; hæc Prima supra vocavimus.

§. 86. Hæ autem Differentiæ in aliis ex aliis depromuntur. Sic in *Substantiis* dependent ab *operationibus propriis*, ubi innotuerunt, ubi vero non sunt cognitæ, ibi res obscura est: et vel ex aggregetione aliarum *Potentiarum* desumuntur; vel alias circumscribuntur.

In *Accidentibus* in genere non à *causis aut aliis Terminis*; sed à *respectibus ad illos* desumuntur. Sic in *Quantitatibus*, à *Consequentibus & Partibus*: In *Qualitatibus & Actionibus*, ab *Objecto & causis externis*: In *Relationibus*, à *Fundamento & Terminis* &c. eruuntur.

Punctus 6. De Proprio.

§. 87. Ad *Proprium* notanda 1. *Definitio*, 2. *Origo*, sub qua simul etiam *Requisita*, *Modi* seu *gradus*, *Varietas* & *Discrimen* à *Differentia* & *Accidente* innotescunt.

§. 88. Memb. I. Definitur *Proprium* *notio secunda ejus quod non declarat quidditatem rei, soli autem, omni, & semper inest, ac conversim prædicatur de re in quali accidentaliter & necessario.*

§. 89. Sensus est, quod sit talis conceptus, qui non ad essentiam rei pertinet, interim soli Speciei convenit, ut extra illam non inveniatur, & in ea vero competat omni Individuo, ac quidem omni tempore, ita ut reciprocè prædicari queat cum Specie, sed tanquam *Adjectivum* rei *extraessentialiter* & *necessario* tribuatur.

§. 90. Memb. II. *Origo*. Vulgo statuitur Propria primo in Speciebus esse attendenda; secundario in Individuis. Et *Accidentia* contra. Nos istud suo relinquentes loco, mentem nostram paucis ita declaramus.

§. 91. In

§ 91. In Individuis omnia deprehenduntur Prædicata extræssentia-
lia, indeq; eruantur. Hæc vero ratione inhærentiæ in iis Spectata, Pro-
pria vocari possunt Physice, quia postquam in re existunt, ejus propria
non absurdè dicuntur. Et sic omnia Accidentia, præsuppositâ existen-
tia in Subjecto quoq; essent Propria. At in ratione cognoscendi di-
versitas quædam apparet, per quam Essentialiter ab invicem distinguan-
tur, nam quædam ex iis nexum essentialem cum Subjecto important,
indeq; ejusdem Speciei omnibus Individuis semper insunt; alia verò ci-
tra nexum talem attribuuntur, proinde hæc *Accidentia*; illa *Propria*
salutantur.

§ 92. *Requisita* igitur *Propriorum* duo sunt, 1. quod ab essentia ratione
cognitionis per se & necessario dependeant, tanquam à causa vel subje-
cto. 2. quod soli omni semper & per se conveniant. Illud formaliter con-
stituunt Propria, & ab Accidentibus distinguit: Hoc tanquam Nota &
τὸ μὲν distinctionis accedit, in quo quia sunt plures particula, quæ ab
invicem sequestrari possunt, *diversi modi s. gradus Propriorum* oriuntur.

§ 93. Modi Propriorum 4. constituuntur, nam

Quædam competunt	}	Soli (Speciei) non omni (Individuo.)
		Omni (Individuo) non soli (Speciei)
		& Omni & Soli, sed non semper.
		[& Omni, & soli, & semper ac per se; quæ verè sunt propria.

§ 94. Nos Modorum Fundamentum ex diversitate Propriorum
paulo clarius eruemus, Propria enim sunt vel *Exclusiva* vel *Inclusiva*. *Ex-
clusiva* sunt quæ alias species à communiione istius Prædicati exclu-
dunt, sed quod fieri debebat, non omnia ejusdem Speciei Indivi-
dua includunt, verum quædam tantùm, hinc in Propositionem dispo-
sita, præjacentem particularem reddunt: ut Solus Homo est Medicus.
quæ in duas istas resolvi debet. Quidam Homo est Medicus. Et qui non
est Homo, non est Medicus. Hinc dependent *Propria primi Gradus*, quo
in *Substantiâ* referri possunt, quæ ex *Actionibus*, *Receptionibus*, *Denomi-
nationibus*, ita insunt Speciei, ut non in omnibus Individuis simul inveniã-
tur, ut sunt *Habitus* & *Officia*, certæ dispositiones connatæ, & morbi,
Relationes &c. Sed hæc tamen verius adhuc ad *Accidentium* classem re-
mittuntur.

C ;

§. 95;

S. 95. *Inclusiva* sunt quæ omnia Individua includunt, & iterum sunt vel *Communia*, s. *Generica*; vel *Specifica*. Illa ita in omnibus Individuis deprehenduntur, ut & extra Speciem alijs subjectis competere queant, & distingui possunt in *Prima* & *Secunda*. *Prima* sunt quæ *Differentias* *Genericas* s. *Gradus* *essentiales* in *Tabulis prædicamentalibus* constituent, unde postmodum impositis novis nominibus, *Genera* nascuntur, ut sentire, vivere &c. *Secunda* quæ alias ex dispositione partium *matæ* colliguntur, ut bipedem esse, gerere lanam, setas &c. Hucque pertinent *propria secundi Modi*, ad *externam Formam* ut plurimum in *Substantiis*, & in *Accidentibus* ad *causas* spectantia, ex quibus tamen nonnulla etiam tam remote *Essentiam* attingunt, ut *Accidentium* indolem potius recipiant. Hæc, scil. *specifica* sunt, quæ cum specie reciproantia omnibus simul individuis in ea aptari possunt, adeoque præter exclusionem Specierum. etiam inclusionem Individuorum inquant, unde in Propositionem disposita, explicari possunt per *Universalem* includentem, & *Infinitam* excludentem, ut *Solus Canis latrat*, quæ resolvitur in istas. *O. Canis latrat*, & quod non est canis, non latrat. *Exclusiva* igitur addita explicatur per *Omnis* tantum. *Specifica* iterum est vel *Temporaria*, vel *Perpetua*. *Temporaria* itidem dependent ab *affectione partium Matæ*, indeq; gignunt *tertium gradum propriorum* ut dentire, barbam alere, canescere &c. *Perpetua* sunt, quæ rei per necessariam dependentiam perpetuò conveniunt. & hæc tandem vera *quarti Modi Propria* sunt, à *Forma emanantia*, & in *Materia recepta*. Hæc denique distingui possunt, in *Prima* & *Secunda*. Illa sunt, ex quibus reliquorum cognitio deduci potest, indeq; nomen *Differentia* in *Definitionibus* sortiuntur: Hæc verò quæ inde cognoscuntur, *Propriorum* in specie sic dictorum nomen & sedem tuentur.

S. 96. *Varietas Propriorum* autem dependet. 1. *A Formâ per emanationem*; suntq; *potentia*, quæ ut plurimum in *Substantiis* per operationes se manifestent. 2. *Ex dispositione matæ ad Figuram & Qualitatem ac Passionem recipiendam*. vel 3. *ex dispositione Partium per Affiones, Receptiones, aut Denominationes* variata.

S. 97. Hæc v. doctrina de *Propriis*, ut proponitur, videtur ad *Substantias* tantum accommodata; non ad *Accidentia*. At illa tamen etiam habent sua *Propria*, quæ à diversis respectibus ad *Causas & Effecta, Subjecta & alia*, in ijs oriuntur, & *Definitionem* eorum complent. Hæc enim

nim, licet ratione prædicationis in casu recto, inter Propria non esse numeranda videantur, tamen quia ratione cognitionis ab essentia Accidentium dependeant, & quandoque Definitionem constituent, huc quoque revocari, & inter Propria tractari poterunt. Sic in *Quantitatibus* sumuntur plerumq; vel à *Partibus*, vel *Consequentibus*, vel *Officiis*, vel *aliis*. &c. ut Ternarius est numerus collectus ex tribus Unitatibus. Triangulum est figura habens tres angulos. Horizon est circulus distinguens Hemisphærium inferius à superiori. In *Qualitatibus* à *Fine*, *Objecto*, *Subjecto*. Sic Finis Logicæ est indagare verum. Objectum Physicæ Corpus naturale. Subjectum risus, Homo. Efficiens calor elementaris, Ignis. Eadem quoque in *Actionibus* observanda recurrunt. In *Relationibus* à *Correlato*, *Fundamento* & *Fine*. Sic Proprium Correlatum Domini est Servus. Fundamentum Patris Generatio. Finis Reipubl. est Regimen s. gubernatio. In *Artificialibus* à *Figura* & *Uso*. itemque secundario à *Materia* & *Efficiente*, sic Meniæ Propria Figura vulgò est Quadratura; Usus ad negotia in assidendo expedienda; Materia est Lignum; Efficiens Arcularius; sed in secundo modo tantum &c.

§. 98. *Discrimen* quomodo distinguatur à Differentia, supra patuit; Ab Accidente verò quomodo differat, ex requisitis utriusque inter se collatis post Accidentis evolutionem sponte suâ innotescet.

Punctus 7. De Accidente.

§. 99. Circa *Accidens* notanda sunt 1. *Definitio*. 2. *Origo* & *Varietas*.

§. 100. Membrum I. Definiri solet *Accidens*, quod abesse vel adesse potest citra Subjecti interitum: sed non satis aptè, quia definitio hæc non desumitur, unde desumi maxime debebat, ex eo scilicet quo essentialiter Accidentia à propriis distinguuntur, sed potius confundit Propria cum Accidentibus, nam distribuuntur illa in Separabilia & Inseparabilia: At Inseparabilia abesse poterunt, vel separatione mentali, quæ separari possunt per solam potentiam divinam: Vel reali, quæ separatio per naturam fieri potest. At non reali, quia præterquam quod hæc separatio præsuppositâ existentia Subjecti cum interitu ejus ut plurimum conjuncta est, ut in magnitudine rei videtur, hic ita non debet attendi Nec mentali, quia sic etiam propria separari possunt, adeoque ita essent Accidentia dicenda.

§. 201. Nos igitur ut rectius definire queamus prænotamus duo:
 I. Accidentis *accepciones diversas*. Sumitur autem 1. Ut opponitur *Substantia*,

stantia, diciturq; *Accidens prædicamentale*. 2. Ut opponitur *Essentia* seu *conceptui quidditativo*, qui per Definitionem exprimitur: Sic excludit speciem, Genus, & secundum alios, etiam Differentiam: Includitq; prædicata extraessentialia, ut *Propria* & *Accidentia*, quatenus concretè & *Paronymos* enunciantur de Subjecto, diciturq; *Accidens antepædicamentale* & *Paronymum*. 3. Ut opponitur *Proprio prædicabili*, sic involvit ea, quæ contingenter de re prædicantur, sive Substantiæ sint, sive *Accidentia prædicamentalia*, (nam Substantiæ etiam possunt fieri *Accidentia prædicabilia*, si *Paronymos* de Subjecto enuncientur, idque in duobus casibus 1. Ratione *Materia*, quando illa diversa esse potest, & de totâ specie prædicatur, ut *Mensa* est lignea lapidea. 2. ratione *Unionis accidentariæ*, ut *Ferrum* est ignitum &c.) Hoc dicitur *Accidens prædicabile*, estq; hujus loci.

§. 103. *Requisita* quæ ex oppositione *Proprii* innotescunt, & sunt 1. quæ non necessariò & per se cum *Essentia* rei cohereat in afficiendo vel dependendo, sed respectu Subjecti, ita ut vel non fluat, vel valde remotè fluat ab *Essentia* ejusque partibus. 2. quod non sit reciprocum, nec omni, soli & semper, sed pluribus competat.

§. 103. Ex his igitur definimus *Accidens*, quod sit *Notio secunda eorum, quæ pluribus ex æquo competere possunt citra nexum Essentialem*. Sic simul ad *Originem Accidentium* respicitur, & quomodo à *Proprio Essentialiter* differant, attenditur.

§. 104. Ubi tamen notandum, quod ut *Propria* habeant gradus & modos suos, quorum priores & remotiores magis accedunt ad naturam *Accidentium*. Ita quoque *Accidentia* suos admittunt gradus, quorum posteriores magis accedunt ad naturam *propriorum*, ut nigredo in corvo. Et hinc patet quod non adeo necessaria sit distinctio in *Accidens separabile* & *inseparabile*, qua mundus forte carere posset, quia alias usum non habet.

§. 105, *Membr. II. Origo* hic non tam consideratur *Physica*, quàm à Subjecto contingenter dependet, quam *Gnostologica*, qua ultra speciem se extendit, & alijs etiam *accidentario* competit. Hinc *varietas* *Accidentium* quoque innotescit, quæ ad certas classes revocari debet, ut constet quousque se extendant, & in quibus sint inveniendæ.

§. 106 *Spectari* autem possunt 1. ratione *Denominationis*, quando
Intel.

Intellectus rei denominationem tribuit, quæ de ea prædicatur, quo pertinent *Relationes* tum *primariæ* ex prædicamento Relationis, tum *secundariæ* s. *circumstantiæ prædicamentales*, ex reliquis prædicamentis secundariis, ut sunt Quando, Ubi, Situs, Habitus. Sic Homo est Civis Rusticus, Senex, Juvenis, Germanus, Europæus, Sedens, jacens, tuni-
catus, oculatus &c. Huc etiam revocari possunt *Affectiones Metaphysicæ secundariæ*, *Termini Gnostologici*, & *Notiones secundæ*, ut esse principium, signum, esse conceptum, Universale, esse Genus, prædicatum &c: Nec obstat, quod hæc maximam partem in quid & Substantivè prædicentur, hoc enim privilegium sortiuntur ab Intellectu, qui denominationibus à se ortis vel complendis, ut plurimum peculiaria nomina, eaq; Substantiva imponere solet, interim tamen concretè intelligi debent, non secus ac reliqua Accidentia. Hæ Denominationes ad prædicamentum Relationis latè sumptum pertinent, & ex omnibus prædicamentis reliquis erui possunt.

§. 107. 2. Ratione *Receptionis*, quæ ab extrâ recipiuntur, tum per naturam, ut Aer lumen, Potentia habitum recipit, tum præprimis per Voluntatem aut Casum, ut Paries est albus. Hæc ad *Passiones* & 3. *Speciem Qualitatis* pertinent, & locum habent in *Substantiis*, *Qualitatibus*, *Quantitatibus*.

§. 108. 3. Ratione *Actionis*: sic ipsæ operationes sunt Accidentia, licet potentia sæpe sint propria, quia nexû non habent cum essentia, interim in Definitione sæpe actus pro potentiis poni solent, ut calefacere pro caliditate. Hæc pertinent ad prædicamentum *Actionis*, & locum inveniunt in *Substantiis* & *Qualitatibus*.

§. 109. 4. Ratione *Inhesionis communis*, quæ ita in hærent Subjecto, ut ultra Speciem se extendunt ad alia, adeoq; nexum non habent cum essentia ut doctum esse, magnum esse &c. Hæc ad *Quantitatem* & *Qualitatem* pertinent, locumq; habent in *Substantiis tantum*, non in *Accidentia*, quæ non admittunt *Accidentia Inhesionis*, sed *perfectionis tantum*, quæ desumuntur à partium consideratione, gradibus *Qualitatis*, denominationibus, & respectibus ad *Tempus* & *Locum*, *Figuram* & *Mensuram*, *Numerum* & *Pondus*, &c.

§. 110. Coronidis loco adhuc duo subnecti debebant 1. *Usus Prædicabilium*. 2. *Modus deductionis rerum per prædicabilia*. Sed nos vitandæ majoris prolixitatis causâ, utrumq; vix leviter attingere possumus.

D

Usus.

§. 111. *Uſus Prædicabilium latiſſimè ſe extendit per omnes Logicæ partes & particulas: Et primo occurrit. In Prædicamentis diſponendis. Hic Prædicabilia oſtendunt & diſtinguunt gradus rerū, per diverſos actus abſtractionū collectos. Res enim in arbores prædicamentales ita digeruntur, ut nonnullæ tanquam baſes inferius, aliæ ſuperius, quædã intermediū locū collocentur: Quomodo autem ſingulæ ſint diſponendæ, prout per primum vel iteratos abſtractionis actus colliguntur, Prædicabilia docent. Sic primo ap-
ponuntur Individua; poſt Species; hinc Genera ſubalterna, uſq; dum ad ſum-
mum Genus perveniat. Genera & Species directe ſecundum ſub & ſu-
pra locantur: Differentiæ ſolent quoq; ad latera poni, unde dicuntur col-
laterales. At Propria & Accidentia hic non attenduntur, quia ſunt extra
eſſentialia ſuis Speciebus.*

§. 112. *In Definitionibus eruendis: Definitiones totæ pendent ex hac doctrinâ, nam Deſinitum ſemper eſt Species, Genera enim & reliqua quæ ta-
lia, non poſſunt deſiniri, & ſi deſiniantur ſpeciei naturam induunt. Deſini-
tio autem ipſa ſiſtit duos conceptus, alterum Generis, alterum Differentiæ,
quæ deſumitur à Propriis primis. Quæ ergo Differentia ex hiſce non deducit-
tur, impropria eſt, & potius deſcriptio dicenda.*

§. 113. *In Diſiſionibus accurandis. Diſiſio, quam primario intendit
Logica, eſt Generis in Species per collaterales differentiæ aut propria, quæ
itidem ex Prædicabilibus eruitur.*

§. 114. *In Propositionibus affirmatis in caſu recto conſtituendis &
dijudicandis, cum enim duo Termini offeruntur componendi, oſtendunt,
uter prædicati locum occupare debeat, uter ſubjecti. Sic ſemper Species &
quæ ſunt ſub ea, Individua, ſubjecta ſunt, reliqua prædicabilia, prædicata
conſtituuntur. Sic in Terminū compoſitū monſtrant coheſionis rationem.*

§. 115. *In Syllogiſinis affirmatis Univerſalibus. Horum enim Mate-
ria, ſi non tota coheſio, maximam partem ex prædicabilibus dependet. Quod
ſi ergo ex 4. prioribus, Syllogiſmus fuerit conſtructus, legitime colliget. Si vero
intermiſceatur Accidens, vel Terminus adhuc ambiguus, & nondum ad certū
prædicabilis notionem redactus, peccabitur in Materia & oriatur Fallacia.*

§. 116. *In Demonſtratione rigorosâ, in quâ dantur 3. Termini qui
ſemper ex Prædicabilibus debent eſſe deſumpti, nam Minor eſt Species; Major
Proprium; & Medius itidem Proprium, ex quo alterius cognitio deduci
poſteſt, quocunq; aliâ nomine veniat. Et ſic nulla datur Demonſtratio in
Scientiis, quæ non conſtet ex prædicabilibus.*

§. 117. In

§. 117. In Topicis. Ubi potior pars argumentorum in ex doctrina Prædicabilium desumitur, ut à Specie, Genere, Differentia, Proprio: Item Definitione & Divisione, quæ pendent ex illis. Et quando ex Causis, Effectibus, Subjectis aliisque petuntur, ad Propria quoque revocari posse, supra innuimus.

§. 118. In Sophistica tandem usum consequenter habent, quatenus ostendunt Fallaciam sæpe gigni, si interveniat in Syllogismo Accidens, aut Terminus nondam evolutus, ut sub notione certi Prædicabilis poni queat. Hæc de Usu.

§. 119. Modus deducendi res per Prædicabilia, multa quidem habet & jucunda, simul & utilia, observari dignissima: sed nos illum, prout rei dignitas requirit, propter chartæ angustiam persequi non possumus, proinde hic finem facimus, & quod desit in commodius tempus reservamus.

Jucundi exercitij causâ, ut ad altiùs de his cogitandum, ac pressius expendenda superiora, ingenia excitemus, sequentia apposuimus Corollaria, quæ ex Materia explicatâ fluunt, & in prædictis declarata sunt.

1. Logica est *Habitus Instrumentalis*, dirigens operationes mentis in re quavis Notionibus secundis terminandâ, ad facilitiorem veritatis perceptionem.
2. Logica non recte dividitur ratione Materia & Forma in partem communem & propriam.
3. Prædicabilia & Universalia non sunt Synonyma, sive Grammaticè intelligas, sive Logicè.
4. Origo Prædicabilium omnium est ex Propriis.
5. Homo non videtur.
6. Pars aliquando plus continet Toto.
7. Genus est Proprium. Proprium est Accidens. Differentia Specifica non est distinctum prædicabile.
8. Albedo non est Accidens inherens parietis; & ne albi quidem.

SOLI DEO GLORIA.

SPAL-

SPALCHAVERE fretum Logicum fulcare laboras,
Dirigat antennas aura secunda tuas.

Convictori meo ser.

JOHANNES QUISTORPIUS, D.
& Theol. Facult. Senior.

Humana mentis cynosura favente Minervā
Ingenium exercet vestrum, Logica illa salubris
Vos tenet obstrictos; Studium regat & beet illud
Fons & origo Boni-Veri, DEUS Unus & Almus.

Eximiis Dn. Disputaturis sincero
affectu acclam.

M. JOHANNES CORFINIUS,

Præstantissimo & Literatissimo

DN. RESPONDENTI
Populari & Amico suo Candido.

Quinq; aliis; quatuor tibi, Spalchavere, superfunt,
quæ à prædicando nomen obtinent suum.

Quid Genus & Species, Proprium: Et quid differat istud
ab Accidente consequenter explicas.

Sint nova; sive novo tractata modo, ordine, fine,
si vera sat: si falsa, Mome, fac probes.

Naturam sequitor; rationes poscito, Amice,
nec Nominum te fascinent insomnia.


Authores magni: major natura, patentem
hanc ut sequare Veritas te haud deseret.

Perge ita: Res, ratio dux & comes esto laboris
sic certa lauri te manebunt præmia.

Et Vitonā suo quondam gaudebit Alumno,
qv beabit Hertha dignis muniis.

Cum voto appl.

PRÆSES.



Intellectus rei denominationem tribuit, quæ continent *Relationes* cum *primariæ* ex predicamentaria s. *circumstantiæ predicamentales*, ex secundariis, ut sunt Quando, Ubi, Situs, Habitus, Rusticus, Senex, Juvenis, Germanus, Europæus, oculatus &c. Huc etiam revocari possunt *secundariæ*, *Termini Gnostologici*, & *Notiones* signum, esse conceptum, Universale, esse Genus, obstat, quod hæc maximam partem in quibus hoc enim privilegium sortiuntur ab Intellectu à se ortis vel complendis, ut plurimum peculiaritativa imponere solet, interim tamen concisecus ac reliqua Accidentia. Hæ Denominata *Relationis* latè sumptum pertinent, & ex omniterui possunt.


§. 107. 2. Ratione *Receptionis*, quæ ab exteriori naturam, ut Aer lumen, Potentia habitum reus Voluntatem aut Casum, ut Paries est albus. *Prædicamentum* *Qualitatis* pertinent, & locum habent in *Quantitatibus*.

§. 108. 3. Ratione *Actionis*: sic ipsæ operationes et potentia sæpe sint propria, quia nexum non habent in Definitione sæpe actus pro potentiis propter caliditate. Hæc pertinent ad *predicamentum* *Substantiis* & *Qualitatibus*.

§. 109. 4. Ratione *Inhesionis communis*, quæ ut ultra Speciem se extendunt ad alia, adeoque in essentia ut doctum esse, magnum esse &c. *Qualitatem* pertinent, locumque habent in *Substantiis* & *Accidentibus*, quæ non admittunt *Accidentia Inhesionis* tantum, quæ desumuntur à *partium considerationibus*, & respectibus ad *Tempus* & *Locum*, *Numerum*, & *Pondus*, &c.

§. 110. Coronidis loco adhuc duo subnecesse dicabilium. 2. *Modus deductionis rerum per predicamentum* majoris prolixitatis causâ, utrumque vix leviter at

D



the scale towards document
Patch Reference numbers on UT
Image Engineering - Scan Reference Chart - TE203 - Serial No.

quo per
tum secun
mentis se
o est Civi
ns, tunica
et a physica
incipium,
&c: Nec
edicentur,
ationibus
eas; Sub
bent, non
camentum
et reliqu
am per
rimis per
& 3. Spe
litaribus,
dentia, li
tia, inte
alefacere
ocum in
Subiecto,
ent cum
tatem &
, non in
rfectionis
ualitatis,
& Mensu
usus Præ
vitandæ
us.
usus.